a, Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!
semiputata tibi frondosa uitis in ulmo est: 70
quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
uiminibus mollique paras detexere iunco?
inuenies alium, si te hic fastidit, Alexin.'

ECLOGA III

MENALCAS DAMOETAS PALAEMON

M. DIC mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?
D. Non, uerum Aegonis; nuper mihi tradidit Aegon.
M. Infelix o semper, oues, pecus! ipse Neaeram
dum fouet ac ne me sibi praeferat illa ueretur,
hic alienus ouis custos bis mulget in hora, 5
et sucus pecori et lac subducitur agnis.
D. Parcius ista uiris tamen obicienda memento.
nouimus et qui te transuersa tuentibus hircis
et quo (sed faciles Nymphae risere) sacello.
M. Tum, credo, cum me arbustum uidere Miconis 10
atque mala uitis incidere falce nouellas.
D. Aut hic ad ueteres fagos cum Daphnidis arcum
fregisti et calamos: quae tu, peruerse Menalca,
et cum uidisti puero donata, dolebas,
et si non aliqua nocuisses, mortuus esses. 15
M. Quid domini faciant, audent cum talia fures?
non ego te uidi Damonis, pessime, caprum
excipere insidiis multum latrante Lycisca?
et cum clamarem 'quo nunc se proripit ille?
Tityre, coge pecus', tu post carecta latebas. 20
D. An mihi cantando uictus non redderet ille,
quem mea carminibus meruisset fistula caprum?

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id41567977X/14 UNIVERSITÄT LEIPZIG